

▷ SVETONII  
TRANQVILLI

Otho Syluius.

De Othonis progenitoribus.

Honora-  
ta pro ho-  
nesta.



MAIORES Othonis sunt orti  
oppido Ferentino, familia uete-  
re et honorata, atq; ex principi-  
bus Hetruria. Auus M. Syluius  
Otho: patre equite Ro. matre  
humili incertū an ingenua, per  
gratiā Liuiæ Augustæ, in cuius domo creuerat, Sena-  
tor est factus, nec præturæ gradū excessit. Pater L.  
Otho materno genere præclaro, multarū & magna-  
rum propinquitatū, tam charus, tāq; non absimilis fa-  
cie Tiberio principi fuit, ut pleriq; procreatū ex eo  
erederent. Vrbanos honores, proconsulatū Africa, et  
extra ordinaria imperia seuerissimè administrauit.  
Ausus etiam est in Illyrico milites quosdā, quòd mo-  
tu Camilli ex pœnitentia præpositos suos quasi defe-  
ctionis aduersus Claudium autores occiderant, capi-  
te punire & quidē ante principia se coram: quam-  
uis ob id ipsum promotos in ampliorem gradum à  
Claudio sciret. Quo factō, sicut gloriā auxit, ita gra-  
diam minuit: quam tamen maturè recuperauit, dete-  
ctā equitis Rom. fraude, quem prodentibus seruis ne-

cem Claudio parare compererat. Namq; & Senatus honore rarissimo, statua in palatio posita profectus est eum: & Claudius allectum inter patritios collaudens amplissimis uerbis, hæc quoque adiecit: Vir quo meliores liberos habere ne opto quidē. Ex Albia Terentia splendidissima scæmina duos tulit filios, Lucium Titianum, & minorem Marcum cognomine. Tulit & filiam, quam nondum nubilem Druso Germanici filio despondit.

Othonis ortus, & eius adolescentia. CAP. II.

**O**tho imperator IIII. Cal. Maij natus est, Ca-  
millo Aruntio, Domitio Aenobarbo COSS.  
A prima adolescentia prodigus, ac procax, adeo ut sæpe flagris obiurgaretur à patre. Ferebatur & uagari noctibus solitus, atq; inualidū quenq; obuiorum uel potulentum corripere, ac distento sago impositum in sublime iactare. Post patris deinde mortem libertinā aulicam gratiosam, quo efficacius coleret, etiam diligere simulauit, quamuis anum, ac penè decrepitam. Per hanc insinuatus Neroni, facile summū inter amicos locum tenuit congruentia morum: ut uerò quidam tradunt, & consuetudine mutui stupri: ac tantum potentia ualuit, ut damnatum rei etundis consularum uirum, ingens præmiū pactus, prius quàm planè restitutionem ei impetrasset, non dubitaret in Senatum ad agendas gratias introducere.

Gratiosa,  
pro grata.

Congruē  
ria, pro similitudine.

Amici



Amicitia eius cum Nerone. CAP. III.

**O**Mnium autem consiliorum, secretorumq; par  
ticeps, die, quem Nero necanda matri destina  
uerat, ad auertendas suspitiones cœnam utriq; exqui  
sitissimæ comitatis dedit. Itē Poppæam Sabinā tunc  
adhuc amicam eius abductam marito, demādatamq;  
interim sibi nuptiarum specie recepit. Nec † corri  
puisse contentus, adeo dilexit, ut ne rivalem qui dem  
Neronem æquo tulerit animo. Creditur certē nō mo  
dō missos ad † arcessendam non recepisse, sed ipsum  
etiam exclusisse quondam pro foribus astantem, mi  
scentemq; frustra minas & preces, ac depositum re  
poscentē. Quare dedito matrimonio, sepositus est  
per causam legationis in Lusitaniam, & satis uisum,  
ne pœna acrior minus omnem diuulgaret: qui tamē  
sic quoq; hoc disticho enotuit:

4 al. corru  
pisc.7 al. accer  
sendam.Per cau  
sam, pro  
pretextu.

Cur Otho mentito sit quæritis exul honore?

Vxoris mœchus cœperat esse suæ.

Prouinciam administrauit quæstorius per decem an  
nos, moderatione atq; abstinentia singulari.

Spes eius ad imperium. CAP. IIII.

**V**t tandem occasio ultionis data est, conatibus  
Galbæ primus accessit, eodemq; momento &  
ipse spem imperij cepit: magnam quidem, & ex con  
ditione temporum, sed aliquanto maiorem ex affir  
matione Seleuci mathematici. Qui cū eū olim super  
stitem

stitem Neroni fore sponondisset, tunc ultrò inopinatus aduenerat, imperaturum quoq; breui repromittens. Nullo igitur officij, aut ambitionis in quenquam genere omisso, quoties cœna principem acciperet, Nec eo m̄ aureos excubanti cohorti uiritim diuidebat: nec eo nus, pro nihiloseminus alium alia uia militem demerebatur. Cuidam cius, etiam de patre finium cum uicino litigati, adhibitus arbiter, totum agrum redemit emancipauitq; , ut iam uix ullus esset, qui non sentiret & predicaret solum successionis imperij dignum.

Frustratur spe adoptionis à Galba.

CAP. V.

**S**Perauerat autem fore, ut adoptaretur à Galba, idq; in dies expectabat. Sed postquam Pisone prælato spe decidit, ad uim conuersus est, instigante super animi dolorem etiam magnitudine æris alieni. Stare, pro Neq; enim dissimulabat, nisi principem se stare non subsistere, posse, nihilq; referre ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet. Ante paucos dies seruo Casaris pro impetrata dispensatione X. sestertium expresserat. Hoc subsidiū tanti coepti fuit: ac primo spiculatoribus cōmissa est res, deinde decē alijs, quinq; quos singuli binos producerant: omnibus dena sestertia representata, & quinquagena promissa. Per hos sollicitati reliqui, nec adeò multi, haud dubia fiducia in ipso negotio pluribus affuturis.

Assumo



Assumptio eius ad principatum.

CAP. VI.

¶ al. Erat.  
Tulerat  
animus, p  
libuit.

**T**ulerat animus post adoptionē statim castra occupare, cœnantemq; in palatio Galbam agredi: sed obstitit respectus cohortis, quæ tunc excubabat, ne oneraretur inuidia, quod eiusdem statione & Caius fuerat occisus, & desertus Nero. Medium quoq; tempus religio, & Seleucus exemit. Ergo desti nata die, præmonitis conscijs, ut se in foro sub æde Saturni ad miliarium aureum opperirentur, manē Galbam salutauit: utq; consueuerat, osculo exceptus etiam sacrificanti interfuit, audiuitq; prædicta aruspiscis. Deinde liberto adesse architectos nuntiante, quod signum conuenerat, quasi uenalem domum inspecturus abscessit: proripuitq; se postica parte palatij ad constitutum. Alij febrem simulasse aiunt, eamq; excusationem proximis mandasse, si quæreretur. Tunc abditus properè muliebri sella in castra contēdit: ac deficientibus lecticarijs, cum descendisset, cursumq; cepisset, laxato calceo restitit, donec omiſsa mora succollatus, & à præſente comitatu imperator consalutatus, inter faustas acclamationes strictosq; gladios ad principia deuenit, obuiο quoq; non aliter ac si conscius & particeps foret, adherente. Ibi missis, qui Galbam & Pisonem trucidarent, ad cōciliandos pollicitationibus militum animos nihil ma-

gis pro

gis pro concione testatus est, quam id demum se habiturum, quod sibi illi reliquissent.

Succollatus. Hoc est, supposito collo gestantiflatus: quod uerbum habuimus in Nerone quoq;.

Gesta eius in initio principatus.

CAP. VII.

**D**einde uergente iam die ingressus Senatum, positaq; breui † ratione, quasi raptus de publico, & suscipere imperium ui coactus, gesturusq; cōmuni omnium arbitrio, palatium petit. Ac super cæteras gratulantium adulantiumq; blanditias, ab infima plebe appellatus Nero, nullū indicium recusantis dedit: imò ut quidam tradiderunt, etiam diplomatis primisq; epistolis suis ad quosdam prouinciarum presides, Neronis cognomen adiecit. Certè & imagines statuasq; eius reponi passus est, & procuratores atq; liberos ad eadē officia reuocauit. Nec quicq; prius pro potestate subscripsit, quàm quingēties sestertia ad peragendam auream domum. Dicitur ea nocte per quietem pauefactus, gemitus maximos edidisse, repertusq; à concursantibus humi ante lectum iacens, per omnia piaculorum genera manes Galbæ, à quo deturbari expelliq; se uiderat, propitiare tentasse. Postridie quoq; in augurando tempestate orta grauiter prolapsus, identidem obmurmurasse:

+ Al. oratione.

Propitiare manes, pro placare.

Τί γὰρ μοι ἤδη μακροῖς αἰλοῖς.



† Al. Germanici. <sup>†</sup> Id est, Quid enim me oportet longis  
tibijs insonare.

Germanici exercitus coniuratio in Othonem.

## CAP. VIII.

† Al. Ger-  
manici.

**S**vb idem uerò tēpus, † Germaniciani exercitus  
Sin Vitellij uerba iurauerant. Quod ut compe-  
rit, autor Senatui fuit mittendæ legationis, quæ do-  
ceret, electum iam principem, quietem & concordia  
suaderet: & tamen per internuntios ac literas, cōsor-  
tem imperij, generumq; se Vitellio obtulit. Verum  
haud dubio bello iam ducibus & copijs, quas Vitelli-  
us præmiserat, appropinquantibus, animum fidemq;  
prætorianorum erga se penè internitione amplissimi  
ordinis expertus est: & placuerat per classiarios ar-  
ma transferri remittiq; nauibus. Ea cum in castris sub  
noctem promerentur, insidias quidam suspicati, tu-  
multum excitauerunt, ac repente omnes, nullo certo  
duce in palatium cucurrerunt, eadem Senatus flagi-  
tantes, repulsisq; Tribunorum, qui inhibere tenta-  
bant, nonnullis & occisis: sicut erant cruenti, ubi nā  
† al. pro-  
ruperunt. imperator esset requirentes, † perruperunt in tri-  
clinium usq; nec nisi uiso destiterunt. Expeditionem  
autem impigrè, atq; etiā præproperè inchoauit, nul-  
la ne religionum quidem cura, sed & motis necdum  
conditis ancilibus, quod antiquitus infaustum habere  
tur, & die, quo cultores deum matris lamen tari &  
plange-

plāgere incipiunt: præterea aduersissimis auspicijs  
 Nam & uictimas Diti patri casus litauit, cum tali sa-  
 crificio contraria exta potiora sint. Et primo egres-  
 su inundationibus Tiberis retardatus, ad XX. etiā  
 lapidem ruina edificiorum præclusam uiam offendit.

Congressio Othonis cum Vitellianis ducibus.

CAP. IX.

Simili temeritate, quamuis dubium nemini esset,  
 quin trahi bellum oporteret, quando & fame, &  
 angustijs locorum urgeretur hostis, quamprimum ta-  
 men decertare statuit siue impatiens longioris solici-  
 tudinis, speransq; ante Vitellij aduentum præfigari  
 plurimum posse: siue impar militum ardori, pugnam  
 deposcentium. Nec ille pugnae affuit, substititq; Bry-  
 zelli. Et tribus quidem, uerum mediocribus prælijs  
 apud Alpes, circaq; Placentiam, & ad Castoris, quod  
 loco nomen est, uicit: nouissimo, maximoq; apud Be-  
 briacum fraude superatus est, cum spe colloquij fa-  
 cta quasi ad conditionem pacis militibus educlis, ex  
 improviso, atque in ipsa † consalutatione dimican-  
 dum fuisset, ac statim moricendi impetum cepit, ut  
 multi, nec frustra opinantur, magis pudore, ne  
 tanto rerum, hominum que periculo dominatio-  
 nem sibi asserere perseveraret, quam desperatione  
 illa, aut diffidentia copiarum: qui pe residuis, inte-  
 grisq; etiam nunc, quas secum ad secundos casus de-

† Al. con-  
 sultatiōe.

Da tinuerat



tinuerat, & superuenientibus alijs è Dalmatia, Pannoniaq; & Mœsia, ne uictis quidem adeò afflictis, ut non in ultionem ignominiaë quiduis discriminis ultro & uel sola subirent.

Detestatio eius bellorum ciuiliū. CAP. X.

**I**nterfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis, tertiadecimæ legionis Tribunus, Augusti clauus is mox referre crebò solebat, Othonem etiam priuation usque adeò detestatum ciuilia bella, ut memorante quodam iuter epulas de Cassij Brutiq; exitu, cohorruerit, nec concursurum cū Galba fuisse, si consideret sine bello rem transigi posse. Tunc ad despiciendam uitam exemplo manipularis militis concitatum, qui cum cladē exercitus nunciaret, nec cuiquam fidem faceret, ac nunc mendacij, nūc timoris, quasi fugisset ex acie argueretur, gladio ante pedes eius incubuerit, hoc uiso proclamasse eum aiebat, non amplius se in periculum tales, tamq; benemeritos coniecturum. Fratrem igitur, fratrisq; filium, & singulos amicorum cohortatus, ut sibi quisq; pro facultate consuleret, ab amplexu & osculo suo dimisit omnes: secretoq; captato, binos codicillos exarauit ad sororem consolatorios. Sed et ad Messalinā Neronis, quā matrimonio destinauerat, cōmendans reliquias suas & memoriā. Quicquid deinde epistolarū erat, ne cui periculo, aut noxæ apud uictorem forent, concremauit,

uit. Diuisit et pecunias domesticis ex copia præsentî.

Mors eius atq; funus. CAP. XI.

**A**Tque ita paratus, intentusq; iâ morti, tumultu inter moras exorto, ut eos, qui discedere † al. captabant.

† abire † cœptabant, corripî quasi desertores, detineriq; sensit: adijciamus, inquit, uitæ et hanc noctem: iis ipsis, totidemq; uerbis, uctuitq; uim cuiq; fieri: & in serum usq; patente cubiculo, si quis adire uellet, potestati sui præbuit. Post hæc sedata siti gelidæ aquæ potione, arripuit duos pugiones & explorata utriusq; acie cum alterum puluino subdidisset, foribus adæptis arctissimo somno quieuit. Et circa lucẽ demum expergefactus, uno se traiecit ictu infra læuam papillam. Irrûpentibusq; ad primum gemitû, modò celas, modò detegens plagã, exanimatus est: et celeriter apud Veliternã (ita præceperat) funeratus XXX. & VIII. etatis anno, & LXXXX. & V. imperij die.

Statura & cultus corporis eius. CAP. XII.

**T**anto Othonis animo nequaquã corpus aut habitus cõpetijt. Fuisse enim traditur et modicæ staturæ, & malè pedatus, caluusq; Munditiarum uerò penè muliebrium. Vulso corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & annexo, ut nemo dignosceret: quin & faciem quotidie rasitare, ac pane madido linere consuetum, id que instituisse à prima lanugine, ne barbatus unquam

Instituisse, incipere,

Dd 2 esset,



20 C. SVETONII TRANQ.

esset. Sacra etiam Isidis sæpe in lintea, religio saq; ues-  
te propalam celebrasse. Per quæ factum putem, ut  
mors eius minimè congruens uitæ, maiori miraculo  
fuerit. Multi præsentium militum cum plurimo fletu  
manus, ac pedes iacentis exosculanti, fortissimam ui-  
rum, unicum imperatorem prædicantes, ibidem sta-  
tim nec procul à rogo uim suæ uitæ attulerunt. Mul-  
ti & absentium accepto nuntio præ dolore armis in-  
ter se ad internecionem concurrerunt. Deniq; magna  
pars hominum, incolumem grauisimè detestata, mor-  
tuum laudibus tulit, ut uulgò iactatum sit, etiam Gal-  
bam ab eo non tam dominandi, quàm Reipub. ac li-  
bertatis restituendæ causâ interemptum.

Interne-  
cio siue in-  
ternectio.

C SVETONII  
TRANQVILLI

Aulus Vitellius.

Stirps & origo Vitelliorum.



VITELLIORVM originem  
alij aliam & quidem diuersissi-  
mâ tradunt: partim ueterè et no-  
bilè, partim uerò nouâ & obscu-  
ram, atq; etiâ sordidam. Quod  
ego per adulatorem obtrectato-  
resq; imperatoris Vitellij uenisse opinarer, nisi ali-  
quando